I

Band VI., Nr. 1658, Seite 60-61

Bischof Heinrich von Speyer bewilligt die Einverleibung des Augustiner-Nonnenklosters Steinheim in den Predigerorden und seine Unterstellung unter den Meister und Prior dieses Ordens in deutschen Landen.

Ohne Ortsangabe, 1262. Mai 24.

Heinricus, dei gratia episcopus Spirensis, omnibus in perpetuum. Licet pastoralis officii cura et sollicitudo exigat et requirat intendere singulis et universis ad cultum divini nominis proficientibus, maxime tamen illis favorem et consensum inpertiri expedit benivolum, que incluse in castris claustralibus mente libera sub paupertatis onere devote domino famulantur. Unde nos considerato tenore et articulis universis et singulis in indulgencia sanctissimi patris ac domini nostri Vrbani pape contentis . . priorisse et sororibus monasterii sancte Marie in Steinheim, ordinis sancti Augustini, Spirensis dyocesis, statuta ordinis fratrum Predicatorum servantibus pie concessa inter cetera ibidem invenimus easdem . . pr[i]orissam et sorores magistro et priori Theuton*ie* ordinis fratrum Predicatorum conmittendas, si de nostro nostrique capituli procederet voluntate, ita ut eisdem statuta ipsis conveniencia ordinis predicti exhibeant et ipsarum confessiones audiant et visitacionis et correctionis officium inpendant, quociens viderint conveniens et oportunum, et predicta omnia vel eorum singula per se vel per alios faciant secundum quod ipsis videbitur expedire. Hac igitur indulgencia nobis oblata ex parte ipsarum petitum fuit a nobis et capitulo nostro Spirensi, ut ob reverenciam dei omnipotentis eiusdemque genitricis eximie nostrum consensum super predictis ipsis dignaremur misericorditer inpertiri. Conmunicato siquidem consilio salutari et matura deliberacione prehabita, quia rep*p*erimus peticionem predictam iustam et equam, tum propter ipsas . . priorissam et sorores tum eciam propter dilectum nostrum Albertum, quondam in Steinheim decanum, de consensu capituli nostri et dilecti nostri Ottonis ecclesie sancti Widonis prepositi dicti loci archidiaconi ipsarum peticioni duximus liberaliter annuendum, volentes ipsis et earum sequacibus nunc et in omne tempus cuncta prehabita per fratres ordinis Predicatorum iuxta formam a sede apostolica ipsis concessam fieri sine qualibet difficultate, salvo nichilominus iure nostro, capituli nostri et archidiaconi et aliis omnibus nobis et ecclesie nostre conpetentibus racione ecclesie parrochialis. In cuius concessionis testimonium et certam evidenciam presentes litteras nostro, capituli nostri Spirensis et . . prepositi sancti Widonis sigillis sollempniter conmunimus.

 Datum anno domini M^{O}. CC^{O}. LXII°., IX°. kalendas Iunii.

II

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Von drei an grünen, roten, weißen und gelben Seidenfäden angehängten Siegeln sind noch das erste und zweite erhalten, vom dritten lediglich die Seidenfäden: 1) Das Siegel des Bischofs Heinrich von Speyer, mit der Umschrift: + HENRICVS . DEI . GRACIA . SPIRENSIS . EPISCOPVS. 2) Das runde Siegel des Kapitels von Speyer, 70 mm (III. B.): Die thronende Maria mit dem Christuskind, in der Rechten einen Lilienstengel, Umschrift: + SIGILL . . : FRATRVM : M . . . . IS : ECL*(esi)*E : IN SPIRA; Aufschrift: ALMA.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:
HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:
A 524 U 2

Weitere Angaben

Sprache:
Lateinisch

Ausstellungsort:
Ohne Ortsangabe

Ortsindex:
Speyer, SP
 Steinheim an der Murr Wohnplatz (1102)
 Steinheim an der Murr, LB